Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1603

Quelle:
Copyright:

lumnas bene ſcriptus, minioque diſtinctus duo comprehendit Opera, quorum I. incipit: *In nomine domini noſtri ihesu chriſti. qui eſt alpha et O. principium et finis. Apok. ult. Glorioſiſſimo et nobiliſſimo magno principi et regi guiſigotarum et terreſtri chriſti vicario in provincia bethica et circum adiacentibus et longe lateque diffuſis regnis byſpanie Alfonſo* (XI.) — *regnanti in Anno domini M°. CCC°. XLI°. et abinde feliciter* (usque ad a. 1350.) *regnaturo. Frater Aluarus* (Pelagius) *profeſſione minorum Siluenſis eccleſie miniſter et preſul. decretorum doctor — Collirium cum quo oculos tuos regales interiores ungere valeas — et ſpeculum mentis in quo te aſſidue ſpeculeris in hoc libello, quod pro encenio tibi transmitto, quo precioſius et durabilius tibi meo domino naturali et precordialiter mihi dilecto deſtinare non valeo.* Duplex ergo *Collyrium* reliquit *Alvarus*, ſi modo Opus ſuum *adverſus Haereſes* ipſemet inſcripſit *Collyrium*, quod ex iis, quae adfert *Nic. Antonius Bibl. Hiſp. Vet.* edit. novae T. II. p. 151. non ſatis adparet. Noſtrum ſane rariſſime obvium eſt; nemo enim Codices indicat, nemo novit *Collyrium* vocari, *Trithemius*, *Waddingus*, *Antonius*, *Fabricius* tantum *Speculum Regum* adpellant. Prologus porro ita proſequitur: *Feliciter hijs diebus contra hiſmahelitas mauros et arabes filios ſpurcitios mahumeti magi et camelarii pſeudoprophete et barbaras nationes dimicaſti, ſed in exercitu tuo deus dux fuit.* Alludit hic ad memorabilem Pugnam *Salatenſem 30. Oct.* 1340. in qua caeſa feruntur ultra 200. Maurorum millia Chriſtianis pauciſſimis deſideratis, et Regem ad perſequendos ſucceſſus animat: *Tibi de iure debetur Affrica* &c. Officia Principum primum generatim, dein per ſingulas Virtutum tradit ſpecies, atque ita cum e ſacra, tum e profana Antiquitate illuſtrat, ut nihil prae illo habeant *Thomae Aquin.* et *Aegidii Columnenſ.* Tractatus *de Regimine Principum*, mirerque, eum ſolum ἀνεκδοτον remanſiſſe. In fine duplex clauſula: *Finiui hoc opus ego preſul indignus ſiluen. Frater aluarus de ordine minorum In algarbio in villa de taura* (prave *Fabricius Ramra;* ego legendum puto *Tauira*) *Anno domini M°. CCC°. XLIIII. menſe Julij X. die tranſacta.* Cum in Prologo ſupra notetur annus 1341. aut annus 1344. Scribae πταισμα eſt, aut intelligendum, illo anno coeptum fuiſſe Opus, hoc vero finitum. Clauſula altera: *Scriptum mänſee* (Lunaelaci) *Anno domini M°. CCCC°. LVIIII. decima octaua die menſs. aprilis. Per fratrem benedictum profeſſum ibidem.* Eundem fortaſſe *Benedictum Eck de Piburg*, qui teſte *Chron.* p. 244. ab a. 1463. Coenobio Abbas utiliter praefuit.

Alterum Opus *fol.* 122. ab alia manu profectum *Epiſtolae* ſunt *Petri Bleſenſis*, Archidiaconi *Bathonienſis* in *Anglia*, quae ad numerum